pres in metaphora paxilli : hebraice est צאצאים *tseetsaim*, quod Symmachus, inquit S. Hieronymus, vertit, *nepotes;* Vatablus, *stirpes et posteri*, vel *filii et filiæ;* alii, *progeniem et propagines*. Radix enim יצא *iatsa* significat egredi, et propagari ab aliquo. Unde Vatablus hunc versum ita vertit, *et pendebunt ab eo* (Eliakim) *omnis gloria patris ipsius, stirpes et posteri*.

Mystice, Hieronymus Prado in *Ezechielem*, p. 227: A paxillo, inquit, id est ab Eliakim, id est a Deo sustentante pendent omnia vasa musicorum, id est omnes justi, qui laudibus assiduis Deo ipsi solatio sunt : et crateres, id est ii qui temporalibus ministeriis et curis impenduntur. Vel vasa musica sunt Angeli, quorum proprium munus est laudes Deo canere, crateres sunt homines sancti, qui corporis necessitatibus inviti serviunt.

25. AUFERETUR PAXILLUS (Sobna), QUI FIXUS FUERAT IN LOCO FIDELI. — scilicet in loco qui fidelis et firmus Sobnæ videbatur, revera autem erat infidelis et infirmus; nam eo excidit. Ita Vatablus. Unde, eo cadente, ceciderunt et vasa, id est filii, amici, et quotquot ex eo pendebant.

Aliter S. Hieronymus, S. Thomas, et Haymo : Auferetur, inquit, paxillus, id est pontificatus Judæorum in captivitate Babylonica. Verum *paxillum* hic passim vocat non pontificatum, sed Sobnam, qui eo excidit; vel Eliakim, qui in Babylonem non est ductus, sed ante eam cladem mortuus; unde firmus fuit ad mortem usque pontifex.

Moraliter, discant hic Pontifices exemplo Dei, Sobnæ indigno surrogantis dignum Eliakim, scandalosis Clericis et Pastoribus substituere pios et probos, qui plebem verbo et exemplo ædificent.

Ita fecit S. Dunstanus : audi auctorem Vitæ ejus : Tempore Ottonis Imperatoris hoc nomine secundi sub annum regni ejus octavum, circa annum Redemptoris 970, ordo clericalis plurimum erat corruptus, et carnis voluptatibus plus æquo deditus. Quod malum S. Dunstanus Cantuariensis Episcopus corrigere cupiens, auctoritate Joannis Apostolicæ Sedis Antistitis apud regem obtinuit, quatenus Canonici qui caste vivere nollent, Ecclesiis quas tenebant depellerentur; et monachi loco eorum intromitterentur. Cum vero Clerici adversus S. Dunstanum reclamarent, Calnæ Synodus constituitur : ubi cum in cœnaculo, absente rege, propter imbecillem ætatem, considentibus totius regni senatoribus, magno conflictu hinc inde legantium res ageretur, et Dunstanum quasi Ecclesiæ murum multorum jacula conviciorum peterent, nec vincerent; solarium subito to quo considebant, cum axibus dissolvitur et tra bus, omnibusque interim truculenter elisis, sol Dunstanus stans super unam, quæ superstes era trabem absque læsione evasit. Cæterum omnes partis adversæ, vel exanimati sunt, vel langore perpetuo sunt detenti. Hoc miraculum contulit pacem beato Dunstano, et monachis ab impetu Clericorum et aliorum, gratia hæc et similia operante divina. Ita habet *Vita S. Dunstani*, ex qua accipe aliud verbis auctoris.

Eadem tempestate præsidebat Wentanæ Ecclesiæ Ethelwoldus, vir eximiæ sanctitatis, et educatione Patris Dunstani insignis. Hic, re cognita de Canonicis Ecclesiæ suæ, quod nimium sæculares existebant, voluntate Dunstani monuit eos semel et sæpius mores et actus mutare, correctioris vitæ semitas relictis feminis, arripere. Hi ipsi in præsentiarum quidem id sibi possibile esse negantes, voce corvina, semper in crastinum correctionem sui pollicebantur. Quod ipse gnarus non diu sustinuit. Paratis itaque quam plurimis monachorum cucullis, die quo Communio : « Servite Domino in timore, » cantabatur; chorum intravit, vestes quas paraverat secum deferri faciens; et projectis illis in medium, Canonicis ait : « Animadvertistis quid modo cantaveritis? » Animadvertimus, inquiunt : « Igitur, inquit, si servire Domino in timore, et ei vultis exsultare cum tremore, apprehendite disciplinam, vestem scilicet monachalem, ne pereatis (sicut cantasis) de via justa. » Ad quod illi obstupefacti, more solito, inducias petunt, id se facturos in futuro promittunt. Tunc ille : « Mihi credite, amplius non credam huic vestræ responsioni corvinæ; sed aut disciplinam in præsenti apprehendetis, aut loci istius beneficiis et conversationi hinc eliminati jamjam cedetis. » Itaque nonnulli ex istis statim abjecto clericali habitu, monachi facti sunt, cæteris in verbo Pontificis de Ecclesia eliminatis. Cæterum, quia isti qui noviter fuere e iversi, regularis disciplinæ normam sine alterius magisterio docente servare nequibant; accitchi de Aberdonia hinc ab eodem Pontifice adducti sunt, qui monasticæ institutionis tramitem ibi docerent.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit excidium Tyri per Nabuchodonosorem, eo quod Tyri hostes Judæorum in expugnatione Hierosolymæ gavisi sint : Tyri ergo cladem ex pristina ejus gloria et opibus describit. Secundo, vers. 15, *Tyrum post* 70 *annos restaurandam, et ad pristinas merces et opes redituram prædicit. Porro Alcazar,* Apocal. XX, *vers.* 1, *notat.* 4, *per Tyrum accipit, Romam Ethnicam, quasi hic ejus et gentilismi excidium, per conversionem ad Christum, describatur. Verum hoc mysticum est, non litterale, nec genuinum* (1).

1. Onus Tyri. Ululate, naves maris : quia vastata est domus, unde venire consueverant : de terra Cethim revelatum est eis. 2. Tacete qui habitatis in insula : negotiatores Sidonis transfretantes mare, repleverunt te. 3. In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus : et facta est negotiatio gentium. 4. Erubesce, Sidon : ait enim mare, fortitudo maris, dicens : Non parturivi, et non peperi, et non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines. 5. Cum auditum fuerit in Ægypto, dolebunt cum audierint de Tyro : 6. Transite maria, ululate qui habitatis in insula : 7. Numquid non vestra hæc est, quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum. 8. Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ? 9. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ. 10. Transi terram tuam quasi flumen, filia maris; non est cingulum ultra tibi. 11. Manum suam extendit super mare, conturbavit regna : Dominus mandavit adversus Chanaan, ut contererent fortes ejus, 12. et dixit : Non adjicies ultra ut glorieris, calumniam sustinens virgo filia Sidonis : in Cethim consurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi. 13. Ecce terra Chaldæorum talis populus non fuit, Assur fundavit eam : in captivitatem traduxerunt robustos ejus, suffoderunt domos ejus, posuerunt eam in ruinam. 14. Ululate, naves maris, quia devastata est fortitudo vestra. 15. Et erit in die illa : In oblivione eris, o Tyre! septuaginta annis, sicut dies regis unius : post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis. 16. Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita : bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit. 17. Et erit post septuaginta annos : Visitabit Dominus Tyrum, et reducet eam ad mercedes suas; et rursum fornicabitur cum universis regnis terræ super faciem terræ. 18. Et erunt negotiationes ejus, et mercedes ejus sanctificatæ Domino : non condentur, neque reponentur, quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem et vestiantur usque ad vetustatem.

1. Onus Tyri. — Nota : Tyrus hebraice et syriace dicitur צור *tsor* (unde *Tor*, unde *Tyrus*), quasi dicas munita, vel arcta, aut rupea, quia in rupe est sita. Gellio et aliis *Sarra*, hodie *Suri* vocatu Phœniciæ est metropolis, domina maris, totiu que orbis ob loci opportunitatem emporium; na-

(1) Vaticinium istud de Tyro ab Isaia editum est, 130 circiter annis antequam adimpleretur per eversionem Tyri a Nabuchodonosore, 18 vel 19 annis post initium captivitatis Judæorum. Nam in Ezechiele legimus, Deum ideo contra Tyrum iratum fuisse, quia de Jerusalem eversione lætata est dicens : « Euge, confractæ sunt portæ populorum, » cap. XXVI, 2. Porro per tredecim annos Nabuchodonosor hanc urbem expugnavit, juxta plerosque interpretes. Ergo finis captivitatis et calamitatis Tyriorum non nisi triginta annis post Judæorum liberationem eve it, non sub Cyro, qui decem tantum annis in Babylone regnavit, sed sub Dario Hystaspis filio,

Primo, describit Isaias et ad vivum depingit, *primo*, vastitatem urbis, et cessationem navalis commercii cum Sidoniis et Ægyptiis, 1-3; *secundo*, horum sive pudorem sive dolorem de Tyri conditione, 4, 5; *tertio*, Tyriorum migrationem ad sedes peregrinas, 6, 7.

Secundo. tantæ calamitatis causas, exsecutionem, instrumenta et durationem declarat, scilicet Dei judicium ipsiusque voluntas, *primo*, superbiam urbis ad inexpec-

vigatione, et consequenter opibus, luxu et vitiis in sacris æque ac profanis historiis celeberrima. Ad quod juvit non parum, quod Tyrii ex rubro marinorum incisorum muricum sive conchiliorum succo, qui et *ostrum* dicitur, purpurant pannos. Unde hic color purpura Tyria et Sarrana dicitur, quæ *regum et principum est vestis*; hinc Virgilius : « Tyrioque ardebat murice lana. » Idem : « Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro. » Hinc flandrice pannus hic *scharlaken*, quasi *sarlaken* dicitur.

Secundo, Tyrus olim quatuor stadiis distabat a continenti, juxta Q. Curtium, libro IV in *Vita Alexandri*; juxta S. Hieronymum autem et Plinium, libro V, cap. XIX, 700 passibus. Unde Ezechiel ait eam sitam in corde, id est in medio maris. Sed audi Plinium : « Tyrus quondam insula prærato mari septingentis passibus divisa; nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens. Olim partu clara urbibus genitis, Lepti, Utica, et illa Romani imperii æmula, terrarum orbis avida, Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis ejus nobilitas conchilio atque purpura constat. Circuitus novemdecim millium passuum est, intra Palætyro inclusa. Oppidum ipsum viginti duo stadia obtinet. Inde Euhydra, Sarepta et Ornithon oppida; et Sidon artifex vitri, Thebarumque Bœotiarum parens. »

Hinc *tertio*, ita Tyrus florebat, ut ei Venetiæ, Parisii, Antuerpia comparari non possint, adeo ut, si Tyri negotiationem spectes, mundi totius torum fuerit; si munitionem, arx magis dicenda sit quam urbs; si magnificentiam et gloriam, regina fuerit urbium. Unde hic, vers. 8, dicitur coronata; et *Ezechiel*. cap. XXVIII, vers. 14, regem ejus Angeli Cherubini comparat gloriæ et superbiæ, consequenter et cladi ac pœnæ. Si opes, fastum et luxum spectes, orbis potius quam urbs videbatur. Adeo ut S. Hieronymus, vers. 8, de Tyro dici aiat, quod legatus Pyrrhi de Roma dixit : « Vidi civitatem regum, » quot vidi Romæ in curia senatores, tot vidi reges. Denique, si antiquitatem quæras, docent Annales et Berosus Tyrum, paulo post diluvium, initium et nomen sumpsisse a Tyras, qui septimus fuit filiorum Japhet; unde hic, vers. 7, dicitur gloriata in sua antiquitate. Ita Guillelmus Tyrius, lib. XIII *Belli sacri*, cap. I.

Quarto, ob hanc superbiam et luxum *primo* eam obsedit mari Salmanasar; sed frustra, teste Josepho, IX *Antiq.* XV; *secundo*, Nabuchodonosor, post excidium Jerusalem, tredecim annis eam obsedit et vastavit, adeo ut piscatores ibi retia et sagenas suas siccarent, ait Ezechiel; quia enim in mari erat longius a terra sita, hinc jussit infinitam exercitus multitudinem saxa et aggeres comportare, et fretum hoc implere, ut ex continenti oppugnari posset, et sic ex insula facti peninsulam : qui tantus fuit labor, ut Ezechiel omne gestantium lapides et cophinos terræ caput decalvatum, et omnes humeros militum depilatos dicat; ideoque Deum, cujus vindictæ servierunt, eis pro quali mercede, id est pro liberali dono, dedisse Ægypti spolia et opes. Simili modo rursum post 250 annos vastata est ab Alexandro Magno, teste Curtio, lib. IV. Vide Guillelmum Tyrium et Adrichomium in *Tyro*.

Mystice, S. Hieronymus in *Ezech.* cap. XXVIII : Nabuchodonosor est diabolus; Tyrus est anima superba et luxu diffluens, quam arctat, angustat, interficit dæmon. Rursum, S. Bernardus, serm. 10, *De Onere Tyri* : « Tyri, ait, nomen angustia interpretatur : cujus onus est in amaritudine pœnitentiæ, in labore continentiæ, in corporali ægritudine. Quid enim? Nihilne oneris est in hac corporali exercitatione, vel disciplinæ regularis observatione? Quidni labor et continentia? quid laboriosius, quid difficilius, quid periculosius servatur? quid facilius amittitur? Et est alia quædam cordis angustia, quam facit amor sui; cui contraria est cordis latitudo, quam facit amor Dei et proximi. Amor autem sui ex propria voluntate procedit. Qui igitur amat propriam voluntatem, oneri illi est voluntas aliena : et ideo quæ sua sunt quærit, non quæ aliorum. Ad omnia quæ sibi voluntas propria suggerit, promptus; ad ea quæ sibi injunguntur, piger et tardus. De talibus dicit Apostolus : Erunt homines seipsos amantes. Qui profecto pondus pœnæ quod in onere Tyri scribitur, non evadent. »

NAVES MARIS. — Hebraice *naves Tharsis*, id est maris, vide dicta cap. XXII. Septuaginta vertunt, *naves Carthaginis*, quia Carthago fuit colonia Tyriorum, et navibus in mari abundabat, quibus cum Tyro aliisque magna exercebat mercimonia (1). Hinc Virgilius, I *Æneid.* :

> Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
> Carthago.

VASTATA EST DOMUS, — urbs Tyri cum suis domibus, vel vastatæ sunt domus urbis Tyri. Hebraice ad verbum est, *vastata est* (Tyrus) *a domo*, id est funditus, ita ut ne una quidem domus superstatam ignominiam detrahentis, 8, 9; *secundo*, Tyro divitiis, viribus et honoribus exutæ, nec per colonias suas quietem assequi permittentis, 10-12; *tertio*, Chaldæis ad servitutem incolis et ruinam ædibus ejus inferendam utentis, 13; *quarto*, in oblivione Tyrum per septuaginta annos relinquentis, 15, 16.

Tertio, sortis vicissitudinem definit erga Tyrum, cujus *primo*, sequente tamen hos annos tempore, commercium reflorescere videbit, 17; et quæ *secundo*, posterioribus tandem annis, Dei veri cultum amplectendo, nobiliorem per Christum fortunam adipiscetur, 18.

(1) Noster vates Tyri vastationem non directe, sed obliique et figurate describit, et quidem per apostrophas conversas ad illos quos Tyri calamitas proxime feriret. Prima apostrophe dirigitur ad nautas Tyrios et Gaditanos, quorum a Tyro maxime pendebat salus et prosperitas. Hi jubentur amare lugere et deplorare luctuosum urbis casum, quem Propheta ait illos, dum in portubus Bœticæ hærerent, ex insulis vicinis accepturos. (Rosenmuller.)

Quid vero per *naves Tharsis* (nam sic Hebræum verbum debet) intelligendum sit? Alii intelligunt naves Tyrias, quæ negotiationis causa Tartessum in Hispania Bœtica, a Tyriis mittebantur; ille enim Hispaniæ tractus frequens colebatur, navigatione inter eum et Tyrum navibus majoribus commercii causa ultro citroque instituta, ubi Tyrii templum habebant Herculis sui, eodem cultu quo apud se honestati, et juxta illos Tartessus urbs in ipsa fuit, in insula interamnica quam duo Bœtis (hodie *Guadalquivir*, id est *fluvius magnus*) alvei in mare se exonerantes efficiunt; sed nomen latius est sumptum, et non Bœticæ tantum, verum et Hispaniæ toti impositum. (Bochartus in *Geograph. sacr.* lib. III, cap. VII; Michaelis in *Spicileg. Geograph. Hebræor.* tom. I, pag. 82.) Alii vero asserunt *Tharsim* esse regionem quamdam *Æthiopiæ* seu *Abyssiniæ*, fortasse insulam aliquam in sinu Arabico ad littus Æthiopiæ sitam (Henslerus in *Animadvers. ad Isaiam.*) Alii esse Tarsum Ciliciæ urbem dicunt (Hartmann; Volney, *Recherches nouvelles sur l'Histoire ancienne*, tom. I, pag. 271 et seqq.). Alii tandem naves Tharsis non proprie naves Tartessenses significari putant, sed exemplo pro toto genere posito, naves quasvis longinquam exercentes mercaturam, ut supra, II, 16; *Psal.* XLVIII, 8, quemadmodum Horatio *Od.* lib. I, 1, *trabs Cypria*, I, 35, trabs Bithyna, quin et ipsa *Hispana navis* Hebraica fere ratione ab eodem. III, 6, jam pro quavis nave mercatoria ponitur. Unde verba Prophetæ vertunt, *ululate, naves quæcumque mercatoriæ*. Qua versione omnem phraseos poeticæ elegantiam perire quis non sentiat? inquit Rosenmuller. Dici naves Tharsis naves Tyrias, et quidem majores navigationi in Tartessum destinatas, patet ex I *Reg.* X, 22, ubi Salomon in mari habuisse dicitur *naves Tharsis*, id est Tharsim navigare solitas. Cæterum, ad intelligentiam sententiæ pertinet observasse, naves has Tyrias a Propheta spectari tanquam quæ hoc tempore hærerent in portu Gaditano aut Tartessio, ut ex his quæ mox sequentur patebit. (*Abbreviat.* ex Rosenmuller.)

Vaticinium de eversione Tyri per Chaldæos, *Isai.* XXIII, ætatem suam, vers. 13, innuit, ubi dicitur Chaldæos esse populum recentem, qui ab Assyriis (itaque id temporis prævalentibus) assignatas ad Euphratem sedes obtinuerit; nam cum Habacuc, qui sub Manasse vixit, Chaldæos quoque novum esse populum, asserat, qui sedes alienas sibi vindicare studeat, liquet vaticinium *Isai.* XXIII, ab ætate Habacuc non posse valde distare. Incertum quidem est, an Isaias usque in ætatem Manassis vixerit : ast cum Chaldæi longiori profecto temporis spatio ex suis, ad orientales et septentrionales Armeniæ partes sitis sedibus, sæpius in meridionales plagas irruperint, dubio procul jam ultimis Ezechiæ annis has incursiones inchoarunt, cum regnum Assyriorum clade Sancheribi et internis tumultibus, qui subsecuti sunt, debilitatum esset, quo ad hujusmodi expeditiones alliciebantur.

Sine sufficiente ratione quoque asseritur, commemoratos *Isaiæ* XXIII, 10, annos 70 esse numerum propheticum, ut *Jerem.* XXV, 11, 12; XXIX, 10, depromptum, adeoque vaticinium Jeremiæ recentius esse; nam si alteruter ab altero hunc annorum numerum mutuatus fuisset, potius dicendum esset Jeremiam, quem constat quæpiam ex antiquioribus prophetis delibasse, ex hoc vaticinio Isaiæ, quam auctorem hujus vaticinii, qui sibi solus constat, ex Jeremia hausisse. Accedit, temporis definitiones Isaiæ peculiares esse. Nec difficultatem creat longinquitas eventus prædicti; nam et Amos, ante Isaiam, Tyro excidium denuntiavit. Chaldaismi, *Isai.* XXIII, 11, disparent, si diverso punctandi modo ille sensus adducatur : *Ad perdendos debilitatos vel expulsos ejus.* (Jahn.)

persit, et *a veniente*, ut scilicet nullus mercator deinceps ad eam veniat, quod Noster vertit, « unde venire consueverant, » scilicet mercator et naves, quibus proinde dixit, « ululate. » Ita Forerius, Vatablus, Pagninus et alii.

DE TERRA CETHIM REVELATUM EST EIS. — *Primo*, aliqui hæc accipiunt de excidio Tyri per Alexandrum Magnum peracto, *q. d.* Tyri primum belli rumorem acceperunt ex Cethim, id est ex Græcia : ibi enim bellum contra eos comparavit Alexander.

Secundo et melius, alii accipiunt hæc de excidio Tyri per Nabuchodonosorem : hoc enim prius fuit excidio Alexandri, et propinquius temporibus Isaiæ. Ita S. Thomas, Procopius, Cyrillus et alii. Itaque *Cethim*, inquit S. Hieronymus, sunt insulæ Cypri (ubi etiamnum est *Citium* urbs, Zenonis Stoici patria), Italiæ etiam et Macedoniæ : unde ex *Cethim* egressus dicitur Alexander Macedo, I *Machab.* cap. I, vers. 1. Sensus ergo est, *q. d.* Ex Cethim, id est ex insulis maris Mediterranei, « eis, » scilicet navibus maris, id est negotiatoribus marinis (est enim metonymia), revelatum est vastatam esse Tyrum, cum qua negotiabantur, ideoque ululârunt (1).

REVELATUM EST EIS. — Septuaginta vertunt, *Tyrus de terra Cethiorum ducta est captiva*, id est de terra sua translata est. Nam ipsa inter Cethim computabatur; Hebræum enim גלה *gala*, et revelare, ut vertit Noster, et migrare, ut vertunt Septuaginta, significat.

2. TACUIT QUI HABITATIS IN INSULA, — *q. d.* Tacete, o Tyrii! ex dolore, pudore et metu, quia subegit et vastavit vos Nabuchodonosor. Silentium enim signum est servitutis, æque ac pavoris et stuporis.

Insulam vocat Tyrum, quia olim erat insula : sed a Nabuchodonosore et Alexandro facta est peninsula accessibilis, et a peditibus expugnabilis. Septuaginta vertunt, *cui similes facti sunt habitantes in insula*. Hebraice enim דמה *dama* et tacere et similem esse significat, *q. d.* Tyri jam obsessi et vastati facti sunt similes gentibus aliis :

(1) Nil difficultatis est in verbis hebraicis מארץ כתים נגלה להם a terra Cetthim revelatum nuntiatum est iis scilicet Tyriis in Tartesso commorantibus, quas *per naves Tartessias* innui vidimus vel, ut æque commode illa reddi possint, subaudita אשר, his qui sunt de terra Citthim, Græcis Italisve revelatum est, id est annuntiata est clades Tyriorum, inde facile perferenda in Bœticam. Vocaverat Propheta nautas Tyrios in portubus Hispanicis hærentes ad ejulatum ob Tyrum vastatam. Id vero mirum videri potuit, cum illi sat longe a Tyro remoti supponi deberent hujus eventus notitiam non nisi sero consecuturi esse, qui tamen veluti in re præsente ad lamenta excitantur. Quare addit vates, cladis vastationisque Tyriæ ea re esse magnitudinem, ut non tantum fama ejus mox pervolaret mare, et primo quidem in terram Cetthæorum Græcæ vel Italiæ insulas, et inde in Bœticam; verum et ipsi Tyrii, qui cladem evaserant, fuga se propripientes in terram Cetthæorum, hujus cladis velocissimi sint nuntii.
(Rosenmuller.)

sicut enim olim omnes gentes cum suis mercibus confluebant Tyrum, ita nunc cum suis opibus profugiunt ad alias gentes.

NEGOTIATORES SIDONIS, etc., REPLEVERUNT TE, — suis opibus et mercibus : erat enim Tyrus vicina Sidoni, et Sidonis colonia. Aliter hæc dispungit S. Hieronymus; connectit enim hæc cum præcedentibus hoc modo : «Tacete qui habitatis in insula, negotiatores Sidonis,» *q. d.* O Sidonii! plangite æque ac Tyri, tum quia vastata Tyro mercimoniæ cessabunt, tum quia a Tyro ad vos perget, vosque pariter vastabit Chaldæus.

3. IN AQUIS MULTIS SEMEN NILI, MESSIS FLUMINIS FRUGES EJUS (Tyri); ET FACTA EST NEGOTIATIO GENTIUM. — « Semen Nili » vocat fruges et opes Ægypti. Has enim ei affert, et quasi serit Nilus sua exundatione oblimans et fecundans agros, unde easdem vocat *messem fluminis*, scilicet Nili : copiosam enim messem affert copiosa exundatio Nili, *q. d.* Semen et messis frumenti, quæ in Ægypto non ex pluvia, sed ex multis aquis Nili exundantis provenit, fuerunt fruges Tyri, et merces in Tyrum delatæ, ut inde per negotiationem in reliquas insulas et provincias distraherentur. Erat enim Tyrus emporium celeberrimum omnium gentium. Unde Arabicus vertit, *mercaturæ tuæ quas afferebat in aqua multa* (per aquam) *semen mercaturæ mercatoris, quo sibi proderat quæstu ad messem frumenti, et fruges factæ sunt mercatura gentis.* Sic Veneti aiunt in mari annonam sibi esse, quod nihil nascatur domi, sed omnia ad victum necessaria ex mercatura conficiant, et ex mari navibus invehant.

Addit Sanchez vocari *semen Nili*, quia Nilus æque ac Indus, teste Cicerone, semina secum volvit, quæ aut ventus excutit, aut maturitas aufert ab his plantis quæ ad ripas nascuntur, eaque cum exundat in agros, dispergit et disseminat : et hac ratione Nilus dat semen æque ac messem Ægypto. Verum illud semen exiguum est et incertum : constat enim Ægyptios æque ac alias gentes suos agros serere.

Ægypto ergo messem et fertilitatem dat, non pluvia, uti alibi fit, sed Nilus exundans et oblimans agros : atque inde dictum putant Nilum, a novo inferendo luto, quo feracem reddit Ægyptum. Unde Servius censet Nilum dici quasi νέον λῦον, hoc est, novum trahentem limum quo opplet campos. Hinc Claudianus, *epigram.* 6, de eo sic canit :

> Ægyptus sine nube ferax, imbresque serenos
> Sola tenet, secura poli, non indiga venti,
> Gaudet aquis quas ipsa vehit, Niloque redundat.

Sunt tamen, qui a Nileo rege appellatum putant Nilum. Hebræis dicitur *Sichor*, Græcis μέλας, id est niger; quia turbidus est, ob limum quem vehit. Censent aliqui a μέλα; vocatum esse Melo, vel Milo : Melo enim vocatur ab Ennio, Servio et aliis. Porro a Melo dictum esse Nilum contendit vir doctus, littera M in N mutata. Nam hæ litteræ alternant, uti in Noph et Moph, id est Memphis.

4. ERUBESCE, SIDON : AIT ENIM MARE. — *Primo*, S. Hieronymus sic exponit : Mare, id est mercatores maris aiunt Sidoni : Erubesce, quia Tyrus filia tua, in quam tot opes congessisti, vastata et in solitudinem redacta est. Rursum erubesce, inquit S. Thomas, quia non defendisti ab hoste filiam tuam Tyrum. Die ergo : Non parturivi, nec peperi filios, qui meam Tyrum propugnarent (1).

Secundo et genuine : Erubesce, Sidon, quia tua colonia Tyrus a suis filiis deserta, tam fede et misere vastata est; ait enim mare, imo ipsa fortitudo, arx et columen maris, puta Tyrus filia tua, teque non in mari, sed in continente sitam, per marina commercia ditans, dicens : « Non parturivi, » etc., *q. d.* Videbar mihi olim genuisse fortissimos juvenes et pulcherrimas virgines; at jam vastata nihil horum agnosco : omnibus enim ab hoste occisis aut captis nudata, orbata, et viduata sum : erubesce ergo, o Sidon mater! de hac Tyri filiæ tuæ nuditate, similemque propediem ab eodem hoste exspecta. Ita Cyrillus, Procopius, Lyranus et Vatablus.

Moralia, de stultitia mercatorum.

Moraliter S. Ambrosius, *De Elia et Jejunio*, cap. XXIX, docet hic mare accusare avaritiam mercatorum : « Fatigati, inquit, elementi (maris scilicet), hæc vox est : Erubesce, Sidon, hoc est, meos fluctus negotiator arguis, cum sis ipse inquietior, et erubesce velut pudore, quoniam periculo non moveris; verecundiores venti sunt quam vestræ cupiditates : illi habent otia sua, numquid vestra quærendi studia feriantur? et cum otiosa tempestas est, nusquam otiosa sunt vestra navigia : Non parturivi, inquit, nec peperi, nec nutrivi juvenes; quid me inquietant quos nescio, quos non cognosco? » Et inferius : « Horum igitur mercatorum semen in aqua, merces in fluctibus est : in aqua enim labores suos seminant, ut pericula metant; ipse in aqua est, nunquam tutus et solidus. » Et, ut ille ait : « Qui navigat, tantum quatuor digitis distat a mari, a submersione, a morte. »

Mystice S. Gregorius, III part. *Pastor.*, cap. XXIX : « Quasi, ait, per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ sæcularium atque in hoc mundo fluctuantium, ejus qui Deo dedicatus et quasi munitus et stabilis cernitur, vita reprobatur; » et, ut pie æque ac vere ait Thomas a Kempis, lib. III, cap. III:

(1) « Erubesce. » Tam frequens mutatio formæ orationis ingentem ac stupendam rerum vicissitudinem solet in Prophetis comitari. Descripserat ex parte felicitatem Tyri : subito ad Sidonios convertit se, et Tyrum ipsam (quam et *mare* et *maritimam munitionem* vocat, quod locus esset arte et natura munitissimus et undequaque mari alluereturque) loquentem inducit, ut similia quoque ipsi speraverunt neque amplius glorientur, imo tales se exhibeant quales sunt qui pudefiunt, tacent, absconduntur et dolent. (Forerius.)

« Erubesce, Sidon, ait mare : et, si causam quæris, audi quare : pro modica præbenda longa via curritur, et pro æterna vita vix a multis pes semel a terra levatur. »

NON PARTURIVI. — S. Hieronymus putat esse verba Sidonis deplorantis suam cladem, quod suis juvenibus et virginibus ab hoste orbata sit.

Verum alii passim melius censent esse verba Tyri. Unde *primo*, Pintus et Forerius hæc per interrogationem accipiunt, *non*, id est nonne parturivi et peperi juvenes validissimos, qui pro me fortissime depugnarent? *q. d.* Peperi, sed frustra; nec enim hosti tam valido resistere potuerunt, sed una mecum occubuerunt.

Secundo, Emmanuel Sa sic explicat : « Non parturivi,» etc., id est utinam nunquam parturissem eos, scilicet filios, qui nec me, nec se salvare potuerunt!

Tertio, Sanchez per juvenes et virgines intelligit filias, id est colonias Tyri, qualis fuere Carthago, Utica, Gades et Tartessus, Hispaniæ urbes, quæ Tyro contra Chaldæos suppetias miserunt, ideoque ad quartum annum eis restitit, inquit Megasthenes apud Josephum, lib. X *Antiq.* cap. XI; sed ejus incerta est fides. Sensus ergo est, *q. d.* Erubesce, Sidon, quia neque tu cum esses mater Tyri, neque nepotes et neptes tuæ, puta urbes quæ erant filiæ et coloniæ Tyri, matri suæ, scilicet Tyro, opem tulerunt, eamque ab hoste liberarunt; quare perinde fuit Tyro, ac si nullos peperisset filios et filias.

Quarto et simplicissime, *q. d.* Ita civibus filiis et filiabus destituta sum, utpote ab hoste captis vel cæsis, ac si nunquam eos peperissem vel aluissem.

5. CUM AUDITUM FUERIT IN ÆGYPTO, DOLEBUNT. — Tum quia Ægyptii magna habebant commercia cum Tyro; dolebunt ergo ejus excidium, quia peribit eorum quæstus; tum quia timebunt ne post Tyrum Chaldæus Ægyptum invadat, uti reipsa contigit : nam Deus Chaldæis quasi ministris suis, pro longa et molesta obsidione Tyri in mercedem dedit Ægyptum ejusque spolia, ut patet *Ezech.* XXIX, 19; idque ex ejus prophetia, uti et ex hac *Isaiæ*, et simili *Jerem.* cap. XLVII, vers. 4, cognoscere potuerunt Ægyptii, ideoque doluerunt.

6. TRANSITE MARIA, etc., QUI HABITATIS IN INSULA, — in Tyro. Sermo est ad Tyrios negotiantes, ut imminente excidio alias sedes, et alia emporia quærant. Id fecisse Tyros, et consensis navibus fugisse Carthaginem, et ad alias insulas, ex priscis historiis docet hic S. Hieronymus.

7. NUMQUID NON VESTRA HÆC (civitas Tyrus) EST QUÆ GLORIABATUR IN ANTIQUITATE SUA? — quasi antiquissima urbs in æternum duratura. Tyrus antiquior fuit Roma et Carthagine : nam Carthago colonia fuit Tyri, in qua Dido hospitio excepit Æneam, a quo descendunt Latini et Romani. Josephus, lib. VIII *Antiq.* III, asserit Tyrum conditam esse 240 annis ante templum Salomonis. Berosus longe antiquiorem facit Tyrum, nam a Tyras paulo post diluvium eam conditam esse tradit, ut dixi initio capitis. Eleganter Carpenteius hunc versum ita carmine reddidit :

> Urbs fuit illa Tyros, priscis quæ condita sæclis,
> Innumerosque suo repetens ab æquore soles,
> Æternos demens spe præsumebat honores.

DUCENT EAM PEDES SUI LONGE, — *q. d.* Tyrii captivi abducentur, pedibusque ibunt in Babylonem.

8. SUPER TYRUM QUONDAM CORONATAM. — Sicut enim rex cæteris eminet corona regia; sic Tyrus auro, gemmis, purpura, opibus et mercibus omnibus præ aliis urbibus eminebat quasi regina, ait S. Hieronymus; corona enim symbolum est, non tantum regni, sed et rerum copiæ.

Secundo, quia Tyrus in rupe et scopulo erat sita; unde et hebraice dicitur צור *tsor*, id est rupes, inquit Masius in *Josue* XIX; quocirca mœnia et turres Tyri, montis et rupis ejus caput cingentia, coronæ castrensis imaginem præ se ferebant.

Tertio, quia inter fluctus eminebat quasi domina et regina maris.

Quarto, Hebraice מעטירה *maatira* non tantum coronatam, sed et proprie coronantem significat. Tyrus vocatur *coronans*; quia multos adeo ditabat, ut videretur eos reges vel regulos facere. Unde subdit : «Cujus negotiatores principes.» Sic hodie mercatores Veneti putant se dignitate principes exceptis regibus, superare. Quin et Antuerpiæ mercatores vidimus adeo potentes, ut sumptus facerent, quos principes non sustinuissent; ut non nemo ex ipsis a civibus Regulus vocaretur.

Quinto, Arabicus Antiochenus vertit, *quis cogitavit quod Tyrus regnum conturbatum* (commotum) *in suis habitatoribus perveniret in hanc jacturam*, vel calumniam? Et Arabicus Alexandrinus, *quis est qui hoc dedit consilium super Tyrum bene cultam et ædificatam?*

INCLYTI TERRÆ, — Tyri scilicet : de ea enim loquitur. Tyrii enim potentes erant, et quasi domini maris ac terræ. Vide S. Hieronymum, et ea quæ dixi initio capitis

10. TRANSI TERRAM TUAM QUASI FLUMEN, FILIA MARIS, — *q. d.* O Tyre! olim eras filia maris, et quasi vastum mare (ut dixi vers. 4), tum aquarum, tum opum et gentium : nunc facta es flumen, hebraice יאור *ieor*, id est rivulus exiguus, qui sensim ad loca declivia dilabitur et minuitur, donec deficiat et a terra absorbeatur : ita enim et tu decides a tuo splendore et gloria; transibisque per terram tuam, ut eas in Babylonem, ibique spargaris, miscearis et absorbearis ab aliis gentibus.

Aliter S. Hieronymus : « Sicut fluvius, inquit, sive rivulus facile transitur pede, ita tu terram tuam in captivitatem ducta transibis. »

Aliter et Vatablus, *q. d.* Transi et fuge, o Tyre! celerrime instar fluvii, antequam te occupet hostis (1).

Filia maris. — Quia Tyrus fuit accola et incola maris, ut a mari quasi a matre nasci, educari et foveri quasi filia videretur. Sic Delon insulam Athenæus vocavit *filiam maris*, quod subito e mari emerserit. Simili modo Venetiæ possent dici *filia maris* : unde de iis eleganter ita ludit Poeta :

> Aut Venus a Venetis sibi fecit amabile nomen,
> Aut Veneti Veneris nomen et omen habent.
> Orta maris spuma fertur Venus, et Venetorum
> Si videas urbem, creditur orta mari.
> Jupiter est illi genitor, sed Mars pater huic est :
> Mulciberi conjunx illa, sed iste maris.

Simili ænigmate adagio, *filia maris et aquæ* vocatur glacies. Unde illud :

> Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.

Glacies enim in aquam ex qua nata est, resolvitur. Rursum « filia maris » est sal, de quo illud ænigma :

> Filia maris, sive mare concretum in creta,
> Ligneo in campo, ubi caro humana ossibus ludit.

Nam, ut explicat Diomedes, *mare concretum* est sal, qui ex maris aqua conficitur : *in creta,* id est in fictili salino, ex argilla et creta facto : *in campo ligneo,* id est in mensa : *ubi caro humana,* id est hominis manus, *ludit ossibus,* tesseris scilicet et astragalis.

Hebraice est *filia Tharsis;* quia Tyrus pertinet ad illam regionem maris Mediterranei, quæ habitata est a Tharsis filio Javan, *Genes.* capite x, vers. 4.

Rursum *filia Tharsis*, id est maris Rubri; quia Tyrus fuit colonia eorum qui juxta mare Rubrum sive Erythræum, puta juxta sinum Arabicum, habitabant, uti docent Plinius, lib. IV, cap. xxii; Strabo, lib. I; Dionysius Afer, vers. 906. Hinc et in Bœtica Tartessus juxta Gades, urbs et colonia Tyriorum, dicta quoque fuit Erythria; eo quod Tyrii eorum aborigines ab Erythreo mari orti ferantur, inquit Plinius ibidem.

Putant aliqui Tharsis fuisse urbem juxta mare Rubrum, quæ coloniam duxerit, condideritque Tyrum, ideoque Tyrios filiæ suæ, puta Carthagini, nomen viæ indidisse, vocasseque eam Tharsis : unde Septuaginta hic [illegible] sæpe, et noster Interpres, *Ezech.* xxvii, 12, pro *Tharsis* vertit *Carthaginem.*

Non est cingulum ultra tibi. — *Primo,* Sanchez sic exponit, *q. d.* Nobile illud Tyri emporium ita spoliabitur, ut ne reliquum quidem futurum sit cingulum unum, quod in scrutariorum circitorumque mercibus tenuissimum est.

Secundo, Chaldæus et Symmachus, *non est cingulum,* id est non est fortitudo militum tibi : hi enim cingulo gladium sibi accingunt, *q. d.* Non poteris ultra resistere Chaldæo.

Tertio et aptius, « cingulum, » scilicet maris, « non est tibi, » *q. d.* Ante circumquaque mari cingebaris, quasi cingulo, erasque fortissima et inexpugnabilis; nunc hoc cingulum tibi ademit Chaldæus opplens mare, et ex mari faciens continentem : itaque jam cingulo destituta, infirma, et hosti exposita, ab eo capieris, quasi jam terræ, non maris filia. Pari modo Tyrii condiderunt Gades, easque Punica lingua (quæ Syriacæ et Hebraicæ affinis est) vocarunt *Gadir*, id est septum, eo quod undique mari et monte, quasi septo et cingulo valletur et cingatur, ac vicissim ipsum mare sepiat, stringat et muniat : sunt enim Gades in stricto freto Gibraltar. Ita docet Plinius, lib. IV, cap. xxii, ubi perperam pro *septum* irrepsit *septem*. Gadir enim hebraice, syriace et punice non septem, sed septum significat. Porro ex Gadir factum est Gades : Pœni enim, uti et Galli aliæque gentes, facile R in S commutant. Id ita esse patet ex hisce versibus Avieni :

> Barbara quin etiam Gades hanc lingua frequentat :
> Pœnus quippe locum Gadir vocat undique septum.

Et ex Solino, cap. xxvi : « Pœni sua lingua Gadix, id est sepem, nominarunt. » Ita enim legendum docet Delrio, *adagio* 219. Perperam ergo Eustathius Γάδειρα interpretatur, quasi γῆς δειρά, id est *terræ cervix*. Gadir enim et Gadira, non Græcum, sed Punicum est nomen. Sic ab Hebræo *mammon,* descendit Punicum *mammona*, id est divitiæ, ait S. Augustinus, serm. 35 *De Verbis Domini*. Sic *Dido* descendit ab Hebræo *Dod*; et *David*, id est dilectus : *Hanno* a חנן *Chanan*, est *Eucharius*, et pene Joannes : *Carthago* idem est quod *Carthada*, id est nova civitas, ait Solinus. Plura vide apud Serarium in cap. ii *Josue*, Quæst. XXV.

11. Manum suam extendit super mare, conturbavit regna : Dominus mandavit adversus Chanaan. — Alludit *primo*, ad priscos Hebræos, qui expulerunt Chananæos ex Chanaan, *q. d.* Ne spernas, o Tyre! Deum Israel : ipse enim olim manu et potentia sua siccavit mare Rubrum, et omnia regna vicina, præsertim Chananæorum, turbavit et magno timore perculit ad egressum Hebræorum

(1) Sunt qui hæc verba referri dicunt ad aggerem a Nabuchodonosore constructum, ut e veteri Tyri urbe in continente sita, in novam in insula conditam transiret. Antequam agger ille factus fuisset, mari quasi cingulo Tyrus circumdabatur, ita ut incolæ pedibus in continentem transire nequibant. Aggere autem facto, tam facile ac si trajicerent amnem inter duas moles effluentem, in continentem transgrediebantur.

Hanc aliam explanationem nec improbabilem dat Rosenmuller : Ut fluvius seu rivus placide fluens, *æqua* et *plana* est *superficie*, quem si nave transeas, nihil quod te in æqua et plana superficie moretur, offendas; sic terra, tibi subjecta, ab hoste direpta, vastata, desolata, munimentis solo æquatis, æquam tibi præstabit superficiem planamque, ut instar *fluvii* eam *transire* possis.

ex Ægypto; ipse etiam mandavit deleri Chananæos (1).

Secundo, magis proprie et genuine, per mare et Chanaan intelligit Tyrum : Tyrus enim a Chananæis condita et habitata fuit; unde et tribui Aser a Josue, cap. xix, vers. 29, fuit attributa : licet Aseritæ nunquam eam expugnare et occupare potuerint. Sic mulier Chananæa in Evangelio dicitur egressa de finibus Tyri et Sidonis. In voce Chanaan alludit ad mercimonia Tyri : Chanaan enim hebraice vocatur mercator. Unde *Prov.*, cap. ult., dicitur : « Cingulum tradidit Chananæo, » id est cingulum vendidit mercatori; et *Osee* xii, 7 : « Chanaan, in manu ejus statera dolosa. »

Recte notat Sanchez *mandare* esse verbum militare, idemque esse quod mittere exercitum : duces enim belli mandant chiliarchis et capitaneis, ut talem locum vel urbem invadant, cum illos eo ad id peragendum mittunt. Sic dicitur *Psal.* lxvii, 29 : « Manda, Deus, virtuti tuæ; » et *Isaiæ* x, 6 : « Contra populum furoris mei mandabo illi; » et cap. xiii, vers. 3 : « Ego mandavi sanctificatis meis; » et cap. xlv, 12 : « Omni militiæ eorum mandavi; » et *Amos* ix, 4 : « Ibi mandabo gladio. » Similia sunt, I *Machab.* vi, 62, et cap. vii, vers. 9 et 26, et cap. xv, vers. 39.

12. Non adjicies ultra ut glorieris (Vatablus vertit, *non ultra luxu exsultabis*), calumniam sustinens. — Vatablus, *vim passa et oppressa,* scilicet ab hostibus Chaldæis. Hebræum עשק *asac* significat fraudare aliquem suo ære, jure aut debito, ut faciunt mercatores iniqui, præsertim dum cedunt foro, *q. d.* Vos, o Tyrii mercatores! fraudastis et spoliastis vestros creditores; nunc vicissim a Chaldæis spoliabimini.

Virgo filia Sidonis, — o Tyre, quæ pulchra es instar virginis, et filia es, id est colonia, Sidonis. Rursum « virgo, » quia hactenus non es expugnata, sed jam defloranda et corrumpenda es per Chaldæos.

In Cethim (in Cyprum aliasque insulas, in Græciam et Italiam) transfreta. — Ita fecisse Tyrios dixi vers. 6.

Ibi quoque non erit requies tibi. — Quia Deus ibi te quoque persequetur, et peste, fame vel bello affliget.

13. Ecce terra Chaldæorum. — Scilicet, evertet te, o Tyre! quibus non est populus similis robore, potentia et antiquitate; quia Assyrii *fundarunt eam,* scilicet terram et ditionem Chaldæorum, puta Babyloniam : prius enim Assyrii omnesque gentes condiderunt turrim et urbem Babel, indeque egressus Assur in Assyriam condidit Niniven, *Genes.* x, 11.

In captivitatem traduxerunt robustos ejus, — scilicet Tyri. Ita Lyranus, *q. d.* Populus Chaldæorum, id est Chaldæi, ceperunt robustos Tyri. Prophetæ enim saliunt a persona una ad aliam. Ita Isaias allocutus Tyrum, vers. præced., in secunda persona, hic ad audientes et legentes sermonem convertens, loquitur ad eamdem in tertia persona.

Secundo, alii τὸ *ejus* referunt ad Assur, ejusque regiam, puta Niniven, *q. d.* Chaldæi ceperunt robustos Assyriorum et Ninives. Nam Isaias Tyriis, ne mirentur urbis suæ tam potentis, magnificæ et opulentæ excidium, proponit excidium Assyriorum et Ninives, quæ Tyro erat major et potentior. Ita Vatablus. Ninive enim capta et excisa fuit ante Tyrum, tempore Sardanapali ab Arbace Medo et Beloso Babylonio, teste Diodoro, lib. III, cap. vii. Eadem rursum cum Tyro eversa fuit a Nabuchodonosore, uti ostendi *Nahum* ii.

Tertio, plane et simpliciter, « ejus, » scilicet terræ Chaldæorum. Totum ergo hunc versum sic expone, *q. d.* Non mirum quod vastanda sis, o Tyre! licet urbs inclyta, quia pariter vastanda est terra Chaldæorum, puta Babylon, cui similis non fuit urbs aut populus, fundata ab Assyriis, te longe augustior et robustior. Ita Forerius, qui censet hic notari excidium Babylonis factum ab Alexandro Magno : hic enim primo Tyrum, deinde Babylonem cepit : pari, imo potiori jure, ad Nabuchodonosorem idipsum referas, qui cepit Tyrum, et post eam capta est similiter Babylon a Cyro. Ita Cyrillus.

Aliqui moderni Chronologi, ut ostendant excidium Babylonis fuisse prius excidio Tyri, quod hic innuere videtur Isaias, dum Tyriis idipsum in exemplum et speculum proponit, censent Babylonem captam esse tempore Judith, a Nabuchodonosore devincente Arphaxad. Hunc enim Nabuchodonosorem aiunt fuisse filium Asarhaddon, quem ipsi cum Genebrardo et aliis nonnullis volunt fuisse Sardanapalum, victum et occisum ab Arphaxad, id est Arbace Medo, et Beloso Babylonio, teste Diodoro, lib. III, cap. vii; ideoque Nabuchodonosorem, ut patris Asarhaddon necem ulcisceretur, regnumque avitum reciperet, expugnavisse Babylonem cæso Beloso, et mox debellasse Arphaxad, ac deinde crescentibus ei animis cæteras omnes gentes (ideoque et Tyrum ac Tyros) subjugasse, ut narratur *Judith*, cap. i et ii. Quod Bellarminus, lib. I *De Verbo Dei*, Serarius, Præfat. in *Judith*, et alii censent contigisse sub Manasse rege Juda : inde ergo arcessendos esse hos 70 annos desolationis Tyri. Prophetæ enim acie mentis ele-

(1) « Super mare, » etc. Hæc omnia de Tyro intelligo, quam supra quoque vocavit *mare*, cujus habitatores erant *Chananæi*, id est mercatores; cujus quoque *munitiones Dominus decreverat devastare*. Possunt et de tota Phœnicia intelligi, et de tota *Chananitide*, cujus regna commovit potentia Chaldæorum, etc. Sed priori interpretationi subscribo, *et conturbationem* seu *commotionem regnorum* intelligo provocandam : excitavit enim Dominus et quasi ad iram provocavit exteros reges, ut adversus Tyrum consurgerent. « Mandavit adversus » sensum expressit; ego ad verbum reddidi. Estque phrasis castrensis : Id est exercitum conscripsit et misit ut Tyrum opprimerent, *quasi regnis commotis mandatum dederit Jehova contra Chananæum*; ut sic vertere possis : *Manum suam extendit Jehova versus mare, commovit regna, mandavit adversus Chananæum*, etc. (Forerius.)

vata tempora semota combinant, et de futuris loquuntur quasi de præteritis, ob eorum certitudinem. Quæ sententia nova quidem est, sed probabilibus nixa conjecturis. Favent Septuaginta hic; vertunt enim, *ecce terra Chaldæorum desolata est ab Assyriis*. Nabuchodonosor enim hic eam capiens, fuit filius Asarhaddon regis Assyriorum; sed de hoc alibi (1).

Pro *in captivitatem* hebraice est לְצִיִּים *lətsiim*, quod Forerius vertit, *navibus*, scilicet « traduxerunt robustos ejus, » puta in captivitatem; Tigurina vertit, *qui vasta loca inhabitabant*; quod vatabius explicat, *q. d.* Assyrii construxerunt in Chaldæa urbes iis qui prius in deserto sub tentoriis habitabant. צִיָּה *tsia* enim significat locum aridum, desertum, squalidum: hinc *tsiim* vocantur naves, quod in mari quasi siccum quid emineant, ait Forerius. Unde aptius sic vertas, *in locis squalidis statuerunt robustos ejus*, quod Noster clare vertit: « In captivitatem traduxerunt robustos ejus. » Theodotion et alii veteres apud S. Hieronymum, retinent nomen Hebræum, vertuntque, *fundavit eam siim*; additque S. Hieronymus: « Cilii interpretantur plaga consummata, Chaldæi quasi ubera, Assyrii arguentes; siim etymologiam nec nos potuimus invenire. » Sed tropologice explicans subdit: « Chaldæorum autem siim fundamenta jecerunt, quos intelligo dæmones pessimos, qui et propugnacula et turres superbissimas urbis Chaldææ contra scientiam Domini suscitarunt; sed omnis eorum ædificatio in ruinas concidit; sequitur enim: Paries ejus cecidit. Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Sæpe videmus in sæculo, quosdam de alio proposito transire ad aliud, v. g. ut qui militiam male experti sunt, transeant ad negotiationem; rursumque causidicos bellatorum arma corripere. Mutant industriam, ut mutent infelicitatem; et nihilominus dispensatione Dei his quos salvare dignatur, omnia nitentibus evenire contraria; ut per inopiam ac miserias cogantur non in se, sed in Creatore suo habere fiduciam. »

15. IN OBLIVIONE ERIS, O TYRE! SEPTUAGINTA ANNIS. — Septuaginta annos manebis vastata et desolata; deinde reædificaberis, uti factum esse patet II *Esdræ* XIII, 16, et ex eo quod postea Alexander Magnus rursum Tyrum expugnarit. Per quem et quomodo Tyrus restaurata sit, nec sacra, nec profana narrat historia: nam diu post excidium Hierosolymæ excisam esse Tyrum, ac proinde Tyrios cum Judæis non rediisse Babylone, sed diu post, ostendam *Ezechiel.* XXIX, 17.

Dices: *Ezech.* XXVI, 14, dicitur Tyro: « Non ædificaberis ultra. » Respondet Leo a Castro id verum esse, quia post 70 annos non eadem, sed alia alio loco ædificata est Tyrus: unde prior Palætyrus, id est antiqua Tyrus, est dicta. Verum tam Tyrum quam Palætyrum ante Nabuchodonosorem sub Salmanasare exstitisse, docet Josephus, lib. IX *Antiq.* cap. XV.

Secundo, alii respondent: « Non ædificaberis ultra, » scilicet in tali et tanta gloria, qualem et quantam ante habuisti, ut scilicet imperes, quia subjicieris et parebis Chaldæis, Græcis, Romanis. Ita S. Hieronymus in *Ezech.* XXVI, Emmanuel Sa et alii.

Tertio, et facillime « ultra, » id est ad longum tempus, scilicet 70 annis, non ædificaberis. Sic *ultra* capitur I *Reg.* VII, 13; III *Reg.* X, 5; *Joel.* II, 19.

SICUT DIES REGIS UNIUS, — quantum solet vivere homo, præsertim qui læte et liberaliter vivit, qualis est rex, id est 70 annis; hæc est enim ætas et vita hominis, *Psalm.* LXXXIX, 10. Alludit ad regem famosissimum David, qui vixit 70 annis.

POST SEPTUAGINTA AUTEM ANNOS ERIT TYRO QUASI CANTICUM MERETRICIS, — *q. d.* Rursum post 70 annos Tyrus specie, ostentatione et proclamatione mercium suarum alliciet ad se mercatores, sicut meretrix cantu illecebroso allicit amasios.

Nota: Isaias mercaturam Tyri vocat meretricium: e contrario S. Joannes *Apoc.* XVIII, 3, meretricium, id est idololatriam Babylonis, id est Romæ in fine mundi paganæ futuræ, vocat mercaturam. Sic enim ait: « Et reges terræ cum illa fornicati sunt; et mercatores terræ de virtute » (id est, de copia: hæc enim significat Hebraice חַיִל *chel*, cui respondet Græcum δύναμις, et Latinum *virtus* vel *potentia*) deliciarum ejus divites facti sunt. » Ubi Romam vocat *primo*, fornicatricem, sive meretricem; *secundo*, mercatricem, quæ suos mercatores ditat; *tertio*, cauponam, quæ suis deliciis et vino omnes inebriat. Ratio est, quia Hebræum זוֹנָה *zona* significat feminam cauponam, quæ scilicet tam domum et esculenta, quam se aut suas prostituit, sive quæ mercimonia tractat, cauponatur, convivatur, lascivit; sive quæ meretur vel paratis obsoniis ut caupona, vel mercibus expositis ut mercatrix, vel corporis prostitutione ut scortum, quæ antonomastice dicitur meretrix; licet nomen commune sit omnibus prædictis: meretrix enim idem est quod quæstuaria, venditrix, mercatrix; sic et Græcum πόρνη et meretricem et venditricem significat: descendit enim a πέρνημι, id est vendo. Sic ergo Babylon, *Apocal.* XVII et XVIII, inducitur ut caupona, meretrix et mercatrix. Hac etiam de causa mercaturæ Tyri ab Isaia hic vocatur meretricium, scilicet ob Hebræum *zona*: quod generale et commune est, et ob communem utriusque analogiam: tam enim meretrix quam mercatrix meretur, suasque merces exponit et divendit. Rursum, quia non raro tunc, uti et jam subinde fit, ædem erant cauponæ, meretrices et mercatrices: unde et Jura præsumunt eam, quæ in diversorio seu caupona servit, honestam non esse. Hinc et Plato, lib. IV *De Legibus*, docet civitates maritimas et mercatorias, qualis erat Tyrus, male esse moratas; quia ex opibus et colluvie hominum in luxum et vitia abeunt. Sicut ergo Cicero, lib. I *Offic.*, ait: « Hostis olim vocabatur peregrinus, vel hospes; sed peregrinorum et hospitum mores id effecerunt, ut jam hostis pro inimico sumatur: ita et in nomine cauponæ et meretricis accidisse videtur. Tyrus ergo vocatur *zona*, quia tota erat in lucrum intenta, et ut commune totius orbis emporium, sic et diversorium erat. Quare « orbis hospita, caupona » seu *taberaaria* dici potuit, cui hospites æque ac mercatores magnum quæstum afferunt. Ita Sanchez. Addit Leo Castrius blandas illas mercatorum allectationes et laudes quibus merces suas commendant et extrudunt, posse vocari canticum meretricis. Et Forerius: « Vides, ait, mercaturam rei meretriciæ comparari; habent enim maximam inter se similitudinem concupiscentia carnis ac divitiarum. » Et Isidorus Clarius: Ostentatio, inquit, opum et mercium vocatur carmen et cithara; negotiatio vero vocatur fornicatio (1).

(1) Cum Cornelio a Lapide existimat Rosenmuller certum esse extremam hujus versus partem de Tyro vastanda agere, atque nexum cum superioribus sibi constare, hac ratione, quod cum vates indicasset auctorem calamitatis Tyro inferendæ Deum, jam ostendat per quos exsecuturus sit pœnas Tyriis decretas.

Hæc sententia sane admitti potest; attamen recentioris ævi interpretes haud pauci Prophetam hoc dicere arbitrati sunt, non esse, quod civitatis tam vetustæ et tam opulentæ ruina alicui valde mira et supra fidem videatur, quippe exemplum capi posse e terra Chaldæorum, quæ cum ab Assyriis occupata, instructa, munita sit, simile tamen fatum effugere non possit. Ita ut alios taceamus. (Forerius, Calmetus, Bochartus, *Geog. Sacr*, part. I, lib. III, cap. V; Berthierus, Allioli). Quid mirum, inquit Isaias, si Tyrus devastetur? Chaldæi ferocissimi ac ditissimi populi, qui suas quoque *munitiones* habebant et *turres*, perierunt, et Dominus Babylonem subvertit cum *turribus* et *palatiis* ejus, quidni Tyriam gentem mercatricem non ita belliçosam delebit?

Ad hæc objicit Rosenmuller, non esse credibile Prophetam ostendere voluisse nemini, mirum videri debere, Tyrum tam gravia pati, cum terra Chaldæorum ab hoste sit occupanda et vastanda. Nam si id ageret vates, ut lapsum Tyri ex alia simili calamitate illustraret, exemplum petere debuisse a casu superioris et præteriti temporis. Quæ sane objectio supponit auctorem aliunde doctissimum, nullam aut valde imperfectam de spiritu prophetico habere sententiam, ut in multis probat. Nam quis inter vere christianos non sentiat Isaiam a Spiritu Dei transferri potuisse in remotiora etiam futuri temporis, ubi rerum eventus ita disposita intuitus est, ut æterna Dei decreta adimplerentur.

16. SUME CITHARAM, — *q. d.* Uti meretrix citharas, cantus omnesque illecebras adhibet ad illiciendum juvenes: ita Tyrus omnia adhibebit lenocinia et invitamenta, ut merces et mercatores ad se suasque nundinas revocet (2).

17. FORNICABITUR CUM UNIVERSIS REGNIS. — Id est commercia contrahet et negotiabitur cum omnibus gentibus, easque hospitio excipiet: hoc enim est Hebræum זוּן *zun* et *zona*, de quo jam dixi.

18. ET ERUNT NEGOTIATIONES EJUS, ET MERCEDES EJUS SANCTIFICATÆ DOMINO. — *Primo*, Sanchez: *Sanctificatæ*, inquit, id est pollutæ et exsecrabiles Domino; sunt enim merces meretricis, de qua sancitur *Deut.* XXIII, 18: « Non offeres mercedem prostibuli, etc., quia abominatio est. » Unde sequitur, *non condentur*, id est non acceptabuntur hæ meretricis oblationes, ut condantur in templo. Sic *sanctificare* per antiphrasim pro *polluere* sumitur, *Deut.* XXIII, 9, et alibi.

Secundo, idem Sanchez proprie hæc accipit, putatque esse sermonem de Machabæis, a quibus superatos fuisse Tyrios, et prædam captam, Deoque dicatam tradit Josephus, lib. XII *Antiq.* cap. XII; et I *Machab.* XI, 59, dicitur Jonathas imperasse a finibus Tyri usque ad terminum Ægypti. Unde Septuaginta vertunt: *Erit negotiatio ejus et merces sancta Domino; non ipsis congregabitur, sed habitantibus coram Domino omnis negotiatio ejus, comedere et bibere, et impleri in symbolum, memoria coram Domino*, *q. d.* Id spectant Tyrii suis mercimoniis, ut habere possint quo vescantur et inebrientur; sed Deus aliud cogitat, scilicet ut ipsis spoliatis, alii fruantur eorum opibus et deliciis.

Tertio, S. Hieronymus putat post restaurationem Jerusalem et templi Tyrios iniisse fœdus cum Judæis, et ad templi sumptus sæpe dona misisse, idque colligitur ex I *Paral.* XXII, 4, et *Zachar.* XIV, 16.

Quarto et perfectissime, hæc facta sunt tempore Christi, inquit S. Hieronymus; ad illum enim quasi liberatorem et consolatorem, a tristi clade de more avolat Propheta, *q. d.* Tyrii convertentur a

(1) Vers. 13, exemplo rei magis incredibilis ostendit posse Tyrum destrui. Ex quo quanta sit cæcitas quam res prosperæ invehunt discere possumus, qui videamus necesse fuisse exemplo ostendere ruinam contingere posse Tyro. Hinc quoque quis sit usus casuum et fortuitorum eventuum, quos alia regna et provinciæ experiuntur, habemus. Ex vastatione enim Babyloniæ posset Tyrus et Sidon et aliæ urbes sibi consulere. Alexander autem, qui Tyrum cepit, Babyloniæ provinciam quoque subjugavit. Quod si de vastatione per Chaldæos est sermo, exemplum quoque ad rem facit. Nam et Babylon a Persis capta est atque diruta, cum eam tamen florentissimam possedissent per multos annos Assyrii ab uxore Nini ædificatam. Vide Strabonem; apud quem etiam videbis navium usum in Babylone, et quo modo Alexander navibus partim ibi

confectis, partim ex Syriaco mari plicatilibus per terram ad Euphratem advectis, et in Babylone compactis, Arabas invasit. Ex quo auctore disces, Tyrum terræ motibus licet fere totam collapsam, et ab Alexandro obsidione captam, calamitates omnes evicisse, et seipsam navigando instaurasse. Navalis enim ejus potentiæ et apparatus signum est multitudo et magnitudo coloniarum, quas Iberiam usque emisit. Sed nescio an de hac restauratione hic sit sermo. Quid si cum populo Dei capti, et eodem redempti sunt? Certe Propheta a restauratione visibili ad invisibilem per Christum statim transit, ut mox videbis. (Forerius.)

(2) Est et quoddam musicæ genus quo alienatum a nobis Deum revocamus, dum pectus, sceleris conscii, pulsamus, gemitus et lacrymas fundimus. Ille vero nostri memor, cor contritum non despicit, et auribus percipit lacrymas nostras; et rursus in amplexus meretricum et peccatorum ruit amabilis ille puritas, qui et convivium facit et symphoniam adesse jubet, redeunte ad se filio prodigo. (Forerius.)

Christo et Christianis, tumque consecrabunt suas opes Domino, neque avare eas recondent, sed negotiatio, id est lucrum, ejus cedet templo Dei et ministris, ac pauperibus, « ut inde manducent in (id est usque ad) saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem. » id est vestibus bonis et firmis, ad multos annos et usque ad vetustatem duraturis. Vatablus vertit, *ad operimentum senum*, id est ut vestiantur veste honesta et decora, qualis decet senes et presbyteros. Hoc est quod prædixit Psaltes, *Psalm.* XLIV : « Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabantur, » etc. Christus enim in finibus Tyri versatus est prædicando et miracula faciendo, ibique filiam Chananææ curavit, *Matth.* XV, 21 ; et trecentis post Christum annis in Tyro valde floruit Christianismus per sexcentos annos : inde a Saracenis occupata fuit Tyrus, ac rursum a Christianis, scilicet a Venetis ac Hierosolymitis, duce Guaremundo Patriarcha Hierosolymorum in bello sacro, anno Domini 1124, expugnata et recepta per 165 annos in fide claruit : donec anno 1289, a Saracenis et Ægyptiis capta, demum in Turcarum potestatem venit. Ita ex Guilielmo Tyrio, Adrichomius, et aliis (1).

Dices : Hæc sunt lucra meretricis; ergo abominanda Deo.

Respondeo, sunt lucra meretricis, id est mercatricis, ut dixi. *Secundo*, sunt lucra meretricis, id est quæ olim fuit meretrix, id est idololatra : jam vero per Christum facta est casta, et virgo, in fide et cultu Dei veri, de qua ait Apostolus. « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, » unde ejus oblatio olim ingrata, nunc grata est Deo.

(1) *Iis qui coram Jova sedent*, Vitringa intelligit tum *doctores religionis*, qui discipulos instituerent in cognitione Jovæ, quam eorum discipulos, phrasimque desumptam esse putat a more prisco, qui maxime obtinuerit stante adhuc templo primo, cum nullus adhuc esset usus synagogarum publicus, ut vel populus sabbatis aut festis diebus conveniret ad ædes prophetarum, ut per eos erudiretur et instrueretur ad religionis cognitionem; vel viri docti, qui prophetis, ut præceptoribus, adhærere solebant, statis temporibus adessent ad ædes prophetarum, et iis cum de divinis rebus sermones sererent, aut eos de iisdem disserentes audirent. Conferre jubet Vitringa *Ezec.* XXXIII, 30, 31 ; VIII, 1 ; II *Reg.* VI, 32, et librum a se editum *De Synag. vet.*, lib. I, part. II, cap. VI. Mihi tamen præferenda videtur veterum interpretatio, quam et plures recentiores sequuntur : *iis qui habitant coram Jova*, id est qui templum Jovæ frequentant, per quos non solum sacerdotes et Levitæ, sed omnes omnino Jovæ cultores intelliguntur (Cf. *Psal.* XXVII, 4, LXXXIV, 5). Hic tamen noster præcipue sacerdotes videtur respexisse.

(Rosenmuller.)

Ad pleniorem hujus capitis explanationem, conf. *Jerem.* XXVII, 3 ; XLVII, 4 ; *Ezech.* XXVI, XXVII, XXVIII, cum viatorum recentiorum relationibus, v. g. Volney, *Voyage en Syrie et en Egypte*, tom. II, p. 405 ; Maundrell, *Voyage d'Alep à Jérusalem* ; J. Bruce, *Voyage aux sources du Nil, en Nubie, en Abyssinie*. Quorum ultimi hæc sunt verba : « Sola curiositate ducto mihi in mentem venit Tyrum visitare, et ibi veritatis Prophetarum tristis testis factus sum. Duo pauperes piscatores, pisciculis aliquot captis, super rupes ubi fuit Tyrus, retia sua extendebant. »

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Theodoretus, Eusebius, et ex eis Leo Castrius et Vatablus, putant hoc capite agi de vastitate invecta Judæis post et propter Christum crucifixum. Secundo, Cyrillus et Procopius putant hic recapitulari ea quæ dicta sunt de excidio Babylonis, Moab, Damasci, Ægypti, Idumææ, et Jerusalem. Tertio et genuine, S. Hieronymus, et pulchre S. Ambrosius De Elia et Jejunio, cap. XXI, *et alii passim censent Isaiam hic post onera et excidia aliarum gentium, de quibus egit a cap.* XIII, *hucusque per undecim capita, ac nominatim post onus Tyri, quæ erat quasi microcosmus, uti dixi cap. præced., transire de more ad onus totius mundi ac diem judicii, ut sciamus per exempla variarum gentium hæc passurum esse totum orbem, quæ passa est Tyrus, Babylon, Jerusalem et alia regna; quarum excidium et conflagratio fuit typus et umbra tantum conflagrationis mundi, et ignis æterni : sic Christus ab excidio urbis Jerusalem transit ad excidium orbis,* Matth. XXIV, *vers.* 29. *Vide hic quam apposite novum Testamentum veteri, et Christus Isaiæ respondeat, quamque exacte Isaias Christo præiverit. Hoc ergo cap. pathetice illud ipsum describit Propheta, scilicet primo, horribilem ejus speciem. Secundo, vers.* 5, *ejus causam : nimirum impietatem et scelera hominum, quibus terram conspurcarunt. Tertio, vers.* 13, *paucos inde salvandos et beandos, eorumque exsultationem prædicit. Quarto, vers.* 17, *angustias et terrores illius excidii, ac denique, vers.* 22, *æterna gehennæ supplicia describit. Hoc ergo cap. usque ad cap.* XXVIII, *est quarta sectio Isaiæ, qua prædicit onus totius orbis, gehennam reproborum ac diaboli, et gloriam Beatorum.*

1 Ecce Dominus dissipabit terram, et nudabit eam, et affliget faciem ejus, et disperget habitatores ejus. 2. Et erit sicut populus, sic sacerdos : et sicut servus, sic dominus ejus ;

sicut ancilla, sic domina ejus : sicut emens, sic ille qui vendit : sicut fœnerator, sic is qui mutuum accipit : sicut qui repetit, sic qui debet. 3. Dissipatione dissipabitur terra, et direptione prædabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc. 4. Luxit, et defluxit terra, et infirmata est : defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ. 5. Et terra infecta est ab habitatoribus suis : quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. 6. Propter hoc maledictio vorabit terram, et peccabunt habitatores ejus : ideoque insanient cultores ejus, et relinquentur homines pauci. 7. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde. 8. Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. 9. Cum cantico non bibent vinum : amara erit potio bibentibus illam. 10. Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte. 11. Clamor erit super vino in plateis : deserta est omnis lætitia : translatum est gaudium terræ. 12. Relicta est in urbe solitudo, et calamitas opprimet portas. 13. Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum : quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea ; et racemi, cum fuerit finita vindemia. 14. Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt : cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. 15. Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum ; in insulis maris nomen Domini Dei Israel. 16. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi. Et dixi : Secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi ! prævaricantes prævaricati sunt, et prævaricatione transgressorum prævaricati sunt. 17. Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator est terræ. 18. Et erit : Qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam : et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo : quia cataractæ de excelsis apertæ sunt, et concutientur fundamenta terræ. 19. Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, 20. agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis : et gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adjiciet ut resurgat. 21. Et erit : In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso ; et super reges terræ, qui sunt super terram. 22. Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere : et post multos dies visitabuntur. 23. Et erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Jerusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus (1).

1. ECCE DOMINUS DISSIPABIT (Hebraice בוקק *bokec*, id est inanem et vacuam reddet) TERRAM (unde Ambrosius loco citato : « Faciet, inquit, terram quasi stadium vacuum athletis quiescentibus ») :

ET NUDABIT EAM, — tum hominibus, tum animalibus, tum aliis suis ornamentis.

ET AFFLIGET FACIEM EJUS. — Exuret superficiem terræ igne conflagrationis, II *Petri* III, 10

(1) Hic incipit primæ partis vaticiniorum Isaiæ veluti quarta sectio, cujus argumentum per cap. XXIV, XXV, XXVI, XXVII decurrit, scilicet ingens quædam orbis terrarum excidium et conversio describitur. Non ad solam terram Judæam, inquit ipse Rosenmuller, pertinere eam, de qua agitur, conversionem, colligitur e versu 21 cap. XXIV, ubi *reges terræ* et iis oppositæ copiæ locorum celsissimorum, in quos universos Deus graviter sit animadversurus, commemorantur. Sunt præterea pleraque quæ hoc carmen prænuntiat, multo graviora et majora, quam ut soli terræ Judaicæ applicari, et de Judæa per Chaldæos Romanosve vastata intelligi possint.

Propter hanc ultimam rationem, duos sensus hic admittendos censemus, non solum unum litteralem et alterum allegoricum, vel typicum, sed duos sensus æque litterales, quorum unum ad Jerusalem excidium Judææque devastationem, sub Nabuchodonosoro, vel sub Romanis, alterum ad extremam orbis catastrophen, ultimique judicii tempora referendum existimamus. Hanc autem prophetiam ita prosequitur Isaias, ut gravissimarum calamitatum descriptionibus alternis vicibus subjiceret hymnos a piis canendos, quibus divina potentia et benignitas celebratur. Vid. XXIV, 16 ; XXV, 1 et seqq. ; XXVI, 1 et seqq. ; XXVII, 2 et seqq.

In hac autem analytica expositione quæ, ut cap. I diximus, meditationi, vel prædicationi præsertim inservienda subjicitur, secundo sensui litterali utpote digniori et utiliori adhæremus ; varias igitur finis mundi et judicii extremi circumstantias describens Isaias refert :

Primo, excidium universi orbis, *primo*, quoad terram habitabilem et habitatores omnis conditionis, sexus et ætatis, quorum in magna illa terræ catastrophe æqualis erit conditio, 1, 2 ; *secundo*, quoad regna mundi et principes eorum, 3, 4 ; *tertio*, quoad incolas plerosque peccatores, 5, 6 ; *quarto*, quoad fruges, palati delicias, cantica, sonusque instrumentorum quæ ab hilaribus pulsari solebant, 7-9, 11 ; *quinto*, quoad urbes et oppida, eorumque colonos, 10, 12, 13.

Secundo, discrimen justos inter et injustos, quorum illi recreati a Domino, gaudebunt, 14-16 ; hi innumeris [illegible]nibus, nullatenus declinandis, et in serie malorum sese invicem excipientium peribunt, 17-20.

Tertio, sententiæ judicialis, *primo* contra damnatos et impios, pronuntiationem, 21 ; *secundo*, perpetuitatem [illegible]